155. Mundus hic insidiis plenus est : nullum locum, nullum tempus invenies, in quo valeas esse securus. *De discipl. monast.* conversat., cap. 14.

S. LAURENT. JUSTIN.
156. Totus cum sit turbinibus mundus plenus, ille vere censendus est felix, qui Dei gratia præventus, aridum mundum spernit cum flore. Serm. *de Vita solitar.*, cap. 6.

S. LEO. I.
157. In mundo plena sunt omnia periculis, plena laqueis : incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. *Prosec.*

158. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium : inde sævit odium, hinc decipit mendax officium : ut facilius sit vitare discordem, quam declinare fallacem. Serm. 5, *Quadrag.*

S. NILUS.
159. Omnia mundana, umbra et fumus, et bullæ sunt. *Parænes.* 211.

PETR. BLES.
160. Mundus in maligno positus est : plenus periculis, plenus laqueis, plenus scandalis, plenus colloquiis pravis, exemplis malis, proditoriis verbis, et iniquis consiliis. Epist. 102, *ad Radingens. abbat.*

S. PETRUS DAMIANUS.
161. Totus mundus hoc tempore nihil est aliud, nisi gula, avaritia, atque libido. Lib. 1, epist. 15, *ad Alexandr. pap.*

162. Fugiendus est mundus, qui tenebras parturit; et in quibus semper est, tenebrarum caligines inferit, consentientibus sibi, atque obedientibus lumen extinguit, et suorum oculos obruit amicorum. Lib. 6, epist. 5, *ad Monach. Cluniac.*

163. Quiquis mundi hujus inquietis actionibus implicatur, necesse est ut lumen contemplationis amittat. *Ibid.*

164. Mundus offert nobis quidquid pulchrum est visu carnis concupiscentiam et oculorum, et ambitionem sæculi, ut illaque et miseros, illaqueatos strangulet, strangulatos sempiternis involvat incendiis. Serm. 56, *de Sancto Martino.*

PHILO JUD.
165. Inter ea, quæ sensu comprehenduntur, nihil quidquam est mundo absolutius. Lib. *Quod mundus sit incorruptibilis.*

ROBERTUS BELLARM.
166. Certe si non essent preces assiduæ servorum Dei, quibus Deus placari se patitur, jam mundus non tam diu subsisteret. Super *Psalm.* CV, vers. 24.

167. Mundus et si non diligat eos, qui de mundo non sunt, miratur tamen et Deum in illis, et cum illis esse negare non potest. Super *Psalm.* CXXV, vers. 3.

THOMAS. A KEMPIS.
168. Quid quæris, quid cupis videre in mundo, ubi nihil est mundum? *In Hortulo Rosar.*, cap. 2, sect. 2.

IN VIT PAT.
169. In mundo parva et brevis voluptas est, imo non voluptas, sed fraus quædam est et impostura perversitatis mundi, quem nullomodo diligere, verum potius ex animo odisse atque insectari docemur. *Prosec.*

170. Ac sane odio et detestatione dignus est; nam quidquid amicis suis dono dat, idem rursus animo irato eripit, atque omni bono spoliatos, ignominiaque indutos, gravibusque sarcinis onustos, ad sempiternam calamitatem transmittit : et quos in sublime attollit, extremæ humilitati atque afflictioni obnoxios quamprimum reddit, hostiumque suorum ludibrio exponit.

171. Amicorum suorum hostis est, omnibusque qui ipsius voluntatibus obsequuntur, insidias struit : horrendum in modum eos, qui ipsi innituntur, conturbat : et eorum qui fiduciam suam in ipso collocant, nervos omnes elidit.

172. Cum stultis fœdus sancit, falsasque pollicitationes init : hoc tantum animo, ut eos ad se pertrahat, illis sincero animo sese ad ipsum adjungentibus, improbus ipse ac mendax esse comperitur, nihil eorum quæ pepigerat, præstans.

173. Nam cum jucundis cibis eorum fauces hodie delinivit, cras eosdem hostibus suis devorandos objicit.

174. Hodie regem aliquem creat, et cras eumdem in miseram servitutem addicit : hodie innumeris bonis florentem reddit, cras mendicum et mancipiorum mancipium : hodie insignem coronam ipsius capiti imponit, cras ipsius faciem terræ allidit : hodie ipsius collum splendidis dignitatum honoribus exornat, cras eumdem ferreis catenis vinctum dejicit.

175. Ad breve tempus omnium amorem ac benevolentiam ipsi conciliat, aliquando post autem eidem omnium odium et execrationem conflat.

176. Hodie ipsum voluptate afficit, et cras eumdem luctibus ac lamentis conficit.

177. Denique incolas gehennæ, eos a quibus adamatus est, miserandum in modum afflicit.

178. Hæc semper ipsius mens, ac sententia est, hoc institutum : nec eos qui præterierunt, luget : nec eorum, qui relicti sunt, commiseratione afficitur. Lib. 1, *in Vita Ss. Barlaam et Josaphat*, cap. 12.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL.
179. Auctor supremus creavit hunc orbem, ut exemplar idoneum suæ excellentis sapientiæ. Lib. 12, *Theolog.*, cap. 22.

180. Mundus amplitudine est summus, motu incitatissimus, splendore fulgentissimus, nec vetustescens, nec occidens unquam. *De mundo.*

CICERO.
181. Mundus hic omnis, oppidum nostrum est. Lib. 4, *de Finibus.*

PLATO.
182. Hunc mundum ex omni materia creavit Deus, universique naturam terminum ipsum circumscripsit, atque definiit. Sizygia 5, in *Dialogo Timæi.*

183. Unus profecto est mundus, non plures, factus ad exemplum, qui omnia animalia, et maxime quæ ratione intelliguntur, complectitur. *Ibid.*

SENECA.
184. Pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis, mundus habeat. Lib. 7, *Quæst.*, cap. 31.

Vide etiam tit. *Amor*, in genere, sent. 52, 53; *Cæcitas*, sent. 9; *Carcer*, sent. 31; *Cura*, in genere, sent. 8; *Despicere*, sent. 17; *Domus*, sent. 60; *Evagatio*, sent. 16; *Favor*, sent. 24; *Finis*, sent. 35, 36; *Frui*, sent. 38; *Humilitas* in genere, sent. 22; *Idololatria*, sent. 14; *Instabilitas*, sent. 4; *Justitia*, sent. 97; *Laqueus*, sent. 36; *Malitia*, sent. 19; *Miratio*, sent. 8; *Nihilum*, sent. 2; *Nocumentum*, sent. 43; *Occupatio*, sent. 1; *Patria*, sent. 66; *Persecutio*, sent. 24; *Providentia Dei*, sent. 125, 126; *Religio* seu *Congregatio*, sent. 48, 76; *Relinquere*, sent. 120; *Renuntiatio*, sent. 4, 8, 11, 12, 16, 17, 18; *Requies*, sent. 40; *Sequi*, sent. 8; *Suavitas*, sent. 18; *Superbia*, sent. 99; *Temporale*, sent. 1.

MUNUS.

ARISTOTEL.
Munus est rei alicujus donatio, ac honoris signum. Lib. 1, *Rhetor.*, cap. 5.

S. ISID. HIS.
Inter munus et donum hoc interest, quod munus accipientis sit, donum dantis : illud a muniendo, istud a dando. Lib. 1, *de Differentiis*, differ. 108.

PHILO JUD.
Observa dona differre a muneribus : illa enim magnitudinem bonorum præ se ferunt; hæc intra parvum modum contrahuntur. Lib. 2, *Legis allegoriarum.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANTONIN.
1. Acceptio munerum, prævaricatio veritatis est. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 15, § 2.

S. AUGUST.
2. Munera non solum pecunia est, non solum aurum et argentum, non solum Xenia sunt, neque omnes qui accipiunt ea, accipiunt munera. *Prosec.*

3. Accipere enim munera est propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, judicare contra veritatem propter munera.

4. Non solum propter aurum, et argentum, et hujusmodi aliquid : sed etiam propter laudem, qui judicat male, munus accipit, et munus quo nihil inanius. Super *Psalm.* XXV. Enarrat. 2, vers. 10 : *Dextera eorum repleta est muneribus.*

5. Non intendit Deus ad munus, sed in corde videt. Tract. 5, super *epist. Joan.*, de cap. 3.

S. BONAV.
6. Qui dat munera, animam aufert accipientium : quia per munus aufertur animus. Expos. 2, super *Psalm.* 118, cap. 3, vers. 11, art. 1.

7. Honestas rei, et vilitas pretii, Religiosorum et pauperum xenium esse probant. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 6.

8. Nullius gratiam munusculis comparent. *Ibid.*

CASSIODOR.
9. Malorum pœna est, a munere divinitatis arceri. Super *Psalm.* 83.

CLEM. ALEX.
10. Non munus, sed voluntatem divitem reputat Dominus, qui animam erudit. Apud div. Joan. Damasc. Lib. 3. *Parall.*, cap. 26.

S. CYPRIAN.
11. Quæ religio manum claudit, porrectis muneribus? *De Cardinal. oper. Christi.*, cap. 4.

GLOSS. ORD.
12. Apud Deum non est quantitas muneris, sed dilectio et humilitas cordis. Super *Ecclesiastic.*, cap. 35, in illud ; *Noli offerre munera tua*, etc.

S. GREGOR. MAGNUS.
13. Pensandum est quanti est periculi transacta munera cernere, et futura desperare. Lib. 26. *Moral.*, cap. 16.

14. Non frangit quod ex dolore obviat, si menti citius hoc quod ex munere sublevat, occurrat. *Ibid.*, lib. 3, cap. 7.

15. Tanto ab homine Deus postea districtius pœnas exigit, quanto hunc impenso munere largius prævenit. *Ibid.*, lib. 8, cap. 16.

16. Tres sunt acceptiones munerum : munus a corde, munus ab ore, munus ex manu. Est captata gratia a cogitatione ; est gloria per favorem ; est præmium per dationem. *Ibid.*, lib. 9, cap. 17.

17. Justus quisque ab omni munere manus excutit, quia in eo quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere donationem quærit. *Ibid.*

18. Ab omnipotenti Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. *Ibid.*, lib. 22, cap. 8.

19. Considerandum est ne acceptum munus vertatur in vitium, ne per favorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. *Ibid.*, lib. 30, cap. 9.

20. Aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus ab obsequio, est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia est munus a lingua, favor. Hom. 4, super *Evang.*, super illud Isai. 33. *Qui excutit manus suas a munere.*

21. Nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. *Ibid.*, hom. 5.

22. Oblata munera subito respuit, qui avaritiæ radicem a corde suo penitus extirpavit. Lib. 4, in I, *Reg.*, cap. 4, super illud ; *Declinaverunt post avaritiam.*

23. Non delectamur xeniis. Lib. 1, in *Regist.*,

ind. 9, cap. 64, epist. 64, *ad Felicem episc. Messanens.* in medio, col. 679 B., tom. 2.

S. HIERON. 24. Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandas et dulces litterulas, sanctus amor non habet, epist. 2, *ad Nepotian.*

25. Modica in hamo esca ponitur, ut matronarum in eo sacculi protrahantur : sic bestiæ, sic aves, sic capiuntur et pisces. *Ibid.*

26. Munera parva specie, sed charitate sunt magna. Epist. 19, *ad Eustochium.*

27. Munuscula argumenta sunt diaboli, mortis æternæ indicia, et luxuriæ nuntia. In *Reg. monachar.*, cap. 20.

28. In catalogo vitiosorum numerantur etiam hi qui diligunt munera. Lib. 1, super *Isai.*, cap. 1, super illud ; *Omnes diligunt munera.*

29. Munera dantem spoliant, accipientem excæcant et interficiunt. Lib. 2, super *Michæam.*, cap. 7, super illud *Deuteronom.* 16 : *Munera excæcant oculos.*

HUGO A S. VICTORE. 30. Qui amant munuscula, delectantur in propriis. Super *Regul. D. August.*, cap. 8.

HUGO CARD. 31. Sunt quidam qui munera non quærunt, sed oblata recipiunt : et sunt quidam qui non quærunt, sed respuunt, tepide tamen, unde et tandem recipiunt : sunt qui quærunt, et avide recipiunt. Super *Gen.*, cap. 14.

32. Munera accipere ad nutrimentum mutuæ charitatis, aut causa necessitatis, bonum est : aliter, malum. Super *Prov.*, cap. 15.

S. JOANNES CHRYSOST. 33. Sanctorum animæ Deo magis lætantur auctore munerum, quam ipsis muneribus : non eum propter dona ipsius, sed dona propter illum diligunt. Homil. 5, *de Fide Annæ.*

JOAN. TRIT. 34. Munuscula infirmorum dissolvunt animos. Lib. 2, *ad Monachos*, serm. 3.

S. IRENÆUS 35. Per munus, et honos et affectio ostenditur. Lib. 4, *advers. Hæres.*, cap. 34.

S. ISID. HIS. 36. Acceptio munerum, prævaricatio veritatis est. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 54, sent. 4.

S. ISID. PEL. 37. Si munus Deo vere offerre cupis, muneris sequestrum ne aspernare. Lib. 1, epist. 349, *ad Silvam.*

38. Dilectio, quæ munere glutinatur, eo suspenso dissolvitur. *De ligno vitæ*, tract. 4, *de Charit.*, cap. 17.

S. LEO. I. 39. Fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate. Serm. 3, *de Collectis.*

40. Sit dives munere copiosior, dum pauper animo sit inferior. *Ibid.*

41. Muneribus Dei juste et sapienter utendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati. *Ibid.*, serm. 5.

42. Semper illi quod largiatur occurrit, cui bene velle non deficit. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

PETR. BLES. 43. Pauci inveniuntur, quos odor munerum non inclinet : sed beatus, qui excutit manum suam ab omni munere. *Prosec.*

44. Hæc pestis multos secum trahit, difficile vincitur, mentemque inflammat ad rapiendum, ad servandum autem semper tenaciter laxat. Serm. 45.

PETR. CELL. 45. Munus amicabile est amico, sollicitudinem gerere : pluris enim est munus animi, quam numm. Lib. 7, epist. 5, *ad Abbat. Villariens.*

S. PETR. DAM. 46. Manus nostra non omnia, quæ præbentur indifferenter accipiat, et non id quod offertur, sed potius a quo offertur cauta prius examinatione discernat. *Prosec.*

47. Si quæ offerentium accipias, et offerentium merita non discernas, deterius deliquisti. Lib. 4. epist. 7, *ad quemdam episc.*

48. Nullum munus cuiquam congruentius datur, quam id quod ab eo ipso cui datur, exigitur. *Opusc.* 23, in præsat.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 49. Vir divitias neglectui habens, sicut in accipiendis muneribus restrictissimus est, ita in dandis munificentissimus ac liberalissimus. *De provident.*, sect. 1.

50. Offero tibi munus quod et me dare, et te accipere maxime deceat. Serm. *de Dono astrolabii.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CATO POET. 51. Exiguum munus, cum dat tibi pauper amicus, accipito placide, et plene laudare memento. Lib. 1, *Distich.*, metr. 38.

PLATO. 52. Manus manum fricat, da aliquid, et cape aliquid. Sizygia 6, in *Dialogo Axiochi.*

SENECA. 53. Inter turpes jacturas, malum munus est. *De vita beata*, cap. 23.

54. Maledictum incipit esse, non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur. Lib. 1, *de Benef.*, cap. 11.

55 Munera non tam pretiosa, quam rara et exquisita sint ; quæ etiam apud divitem sui locum faciunt. *Ibid.*, cap. 12.

56. Sæpe nihil interest inter amicorum munera et hostium vota. *Ibid.*, lib. 2, cap. 15.

57. Munera ista fortunæ putatis ? insidiæ sunt. Epist. 8.

Vide etiam tit. *Culpa*, sent. 44 ; *Donum*, per totum ; *Judicii corruptio*, sent. 8, 9, 10, 24, 27, 28, 40, 53, 54, 60 ; *Personarum acceptio*, sent. 31 *Remuneratio*, sent. 24 ; *Res*, sent. 88.

MURMUR.

COLLECTOR. *Definitio*. Murmur est conquestus cum impatientia alicujus rei, quæ tolerari debet cum patientia.

S. AMBROS. Murmurare est falso ad invicem de præpositis et

rectoribus queri, quantum ad mentem loci pertinet : quia solet murmur etiam fieri justa ex causa. Super I. *Cor.*, cap. 10, in illud : *Neque murmuraveritis*, etc.

S. BONAV. Murmuratio est injusta querela contra superiores, vel alios, latenter multorum auribus conculcata. In *Speculo animæ*, cap. 1.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non simili judicio murmuratorum pereat. In regul. 2, *ad Clericos.*

2. Ne murmuraveris, meis acquiesce consiliis ; quandoquidem murmurando duo mala sustines : pacificus esto, et gravamen corporale fac tibi antidotum spiritale. Lib. 1, *de Visit. infirm.*, cap. 6.

3. Animæ superbæ et peccatis obnoxiæ, quoties adversitate pulsantur, rebelles contra Dominum murmurare præsumunt. Serm. 2, *Dom.* 13, *post. Trin.*

4. Cum aliquid sit, cavete ne cum murmure fiat, ne murmuratores in conspectu Dei vocemini. Serm. 1, *ad Fratres in eremo.*

5. Sicut lepra proprium corpus devorat, et sibi adhærentes inficit : sic et murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit et occidit. *Ibid.*, serm. 26.

6. O quam pestis misera et mortalis est ipsa murmuratio ! o quam venenosa ! *Ibid.*

7. Grande periculum est, inter murmuratores habitare : quia murmuratio conventus clericorum, et civitates multas destruxit. *Ibid.*

8. Murmurare, detrahere, vel despicere, hypocritarum conditio est. *Prosec.*

9. Murmurare et detrahere hypocrita non satiatur, de omnibus male dicens, ut ipse solus a cunctis prædicetur beatus. *Ibid.*

S. BASILIUS. MAGNUS. 10. Repudiandus est labor ille, qui a murmuratoribus proficiscitur, non secus ac victima, cui macula subest. Lib. *regular. disputat.* interrogat. 29, et hab. apud Joan. Damas. lib. 1, *Parall.*, cap. 67.

S. BERNARD. 11. Is qui impatientia sua et murmuratione cæteros molestat, manifeste Christum persequitur. Serm. *de Convers. S. Pauli.*

12. Nihil tam horrendum et horribile est, quam murmur in Congregatione. Serm. 63. *Parvulorum*, serm.

13. Si is qui murmurat, secundum animam mortuus est; qui ad murmurandum instigat, quomodo vivit? Lib. 3. *de Consid. ad Eugen. Pap.*

14. Qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua. Serm. 47, *ad Sororem.*

15. Nisi murmurantem miseratio superna respiciat, frontosus mox et impudens factus, tanto deterius quanto desperatius in rebellionem corruit. *De duodecim, grad. humil.*, gradu 10.

S. BONAV. 16. Adversa locutio est murmurantium oblocutoria mordicatio. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 2, vers 7, art. 3.

17. Qui murmurat de periculo tentationis, murmurat de præmio probationis. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 1.

S. CÆSAR. ARELAT. 18. In nullo penitus murmures, totum sanctum, totum justum, totum utile judica quidquid aut tibi, aut aliis videris imperari. Hom. 18.

19. Non solum tuam linguam stude a murmuratione mortifera prohibere, sed etiam murmurantem alium non libenter audire. *Ibid.*

CASSIODOR. 20. Odit Dei disciplinam, qui ad correctiones justas iniqua præsumptione remurmurat. Super *Psalm.* XLIX, vers. 18. *Odisti disciplinam.*

21. Major criminis crescit invidia, cum murmurare contingit otiosis. Super *Psalm.* CV, vers. 25 : *et murmuraverunt*, etc.

S. EPHREM. 22. Scandalosa est cunctis murmuratio, charitatem evertit, unionem dissipat, pacem disturbat, *De murmurat.*

23. Murmurator præcipientibus contradicit, et ad omne opus bonum ineptus atque inutilis est. *Ibid.*

24. Murmuratori semper excusationes in promptu sunt; si quod ei opus agendum injungatur, obmurmurat, ac alios mox etiam pervertit. *Ibid.*

25. Quævis murmuratoris actio reproba est, inutilis, et ad nullam virtutem accommodata. *Ibid.*

S. FRANCIS. ASSISIAS. 26. Religiosus qui murmurat, quid aliud facit, quam implere propriam matrem suam (idest Religionem) felle vituperii et traditionum? In suis *Opusc.*, collat. 18.

FRANCISC. TITELM. 27. Solet murmuratio fere comitari otiosos. In *Elucidat.* super *Psalm.* 49, vers. 21 : *Sedens advers. fratrem tuum loquebaris*, etc.

GLOSSA ORD. 28. Ignis Domini justæ ultionis in futuro illos excruciat, qui lingua inflammata a gehenna murmurant. Super *Num.*, cap. XI, super illud; *Ortum est murmur*, etc.

29. Dolens animus debet se custodire, ne de igne probatorio murmuret. Super *Job*, cap. I.

30. Murmurantes per impatientiam si absque culpa aliquid eis infertur, noxios se reddunt, qui hactenus videbantur innoxii. Super I *Petri*, cap. 3.

31. Tanto amplius quisque murmurat et conqueritur, quanto minus in se desideria carnis extinguit. Super *Epist. Judæ*, in illud; *Hi sunt murmurantes*, etc.

GRATIANUS. 32. Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat : et opus ejus abjiciatur, qui murmurans extiterit, ne pœnam murmurantium incurrat. In *Decret.* 90. can. *Alienus.*

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Quisquis de percussione murmurat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? Lib. 5, *Moral.*, cap. 28.

34. Qui de his, qui sibi prælati sunt, murmurant, non humano, sed ei cui cuncta disponit divino ordini contradicunt. *Ibid.*, lib. 22, cap. 17.

35. Contra negligentes præpositos non immerito a subditis murmuratur. *Ibid.*, in titulo.

36. Non nimio tædio in impatientiam cor erumpat, ne ea quæ curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure. Lib. 9, in *Registro*, indict. 4, cap. 27, Epist. 27, *ad Maximian. episc. Arabiæ.*

37. Murmuratio noxia est operibus bonis. Serm. 1, *Dom.* post *Ascens.*

38. In nulla causa ita offenderunt Judæi Deum in Eremo, sicut in murmuratione, quoniam semper murmuratores extiterunt. Serm. *Dom.* 10 *post Pent.*, in Appendice.

S. HIERON. 39. Maximum servorum vitium est, dominis contradicere, et cum aliquid jusserint, secum mussitare. Super *Epist. ad Tit.* cap. II, in illud; *Non contradicentes.*

HUGO A S. VICTORE. 40. Omnis, qui murmurat, serpens venenosus est, quia venenum diaboli habet in lingua. Super *Regul. div. Aug.*, cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 41. Servorum est improborum et insensatorum, murmurare : melius esset nihil operari, quam cum murmuratione operari; nam quod factum est perit. Serm. 8 super *Epist. ad Philip.*

42. Melius esset sæpe ministerio privari, quam murmurantem sustinere. *Ibid.*

43. Gravis est, gravis inquam, est murmurator, et vicinus blasphemiæ. *Ibid.*

44. Murmurare ingratitudinis est : qui enim murmurat ingratus est Deo; qui Deo ingratus est, blasphemus quoque est. *Ibid.*

S. ISID. HIS. 45. Murmurare in flagellis Dei peccator homo non debet, quia maxime per hoc quod corripitur, emendatur. *Prosec.*

46. Discat non murmurare, qui mala patitur, etiamsi ignorat cur mala patiatur : et per hoc juste se pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt. Lib. 3, *de Summo bono*, cap. 4, sent. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 47. Proximorum murmura omnino sunt a Christi militibus declinanda, quæ tanquam acutæ sagittæ audientium animas penetrare noscuntur. *De interiori conflictu*, cap. 2.

S. LEO I. 48. Audet plerumque humana insipientia adversus Creatorem suum : non solum de inopia, sed etiam de copia murmurare ; ut cum aliquid non suppetit, querula ; et cum quædam exuberant sit ingrata. Serm. 1, *de Jejun. decimi mensis.*

THEOPHIL. 49. Murmurare servorum et ingratorum est. Super *Epist ad Philipp.*, cap. II, in illud. *Sine reprehensione*, etc.

Vide etiam tit. *Exaudire*, sent. 71; *Flagellum Dei*, sent. 79, 109, 144, 231; *Opus*, sent. 106; *Passio*, in genere, sent. 77; *Potestas*, in genere, sent 45; *Prædicatio*, sent. 31; *Regnum cœleste*, sent. 46; *Servitus*, sent. 20; *Tempus*, sent. 14.

MUTATIO.

COLLECTOR. *Definitio.* Mutatio est transitus entis ab uno termino ad alium, Vel
Mutatio est transitus a privatione ad formam, vel a forma ad privationem intrinsecam mobili.

RICHARD. A S. VICTOR. *Differentia.* Omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum deteriorem, aut de statu in statum priori æqualem : ubi autem nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest. Part. 1, lib. 2, *de Trin.*, cap. 3.

HUGO A S. VICTORE. *Comparatio.* Sicut multa diligens in his per affectum dividitur, sic mutabilia sequens variatur. Lib. 1, *de Sacram.*, part. 9, cap. 3.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Grave est in pejus mutari : mutatur enim unusquisque morum varietate, et fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit, et incipit esse quod non fuit, sui degener. Lib. 1, epist. 1, *ad Justum.*

2. Proclivis et mutabilis in utrumque est humana conditio, ut quocumque intenderit, eo propendeat et vergat, vel ad studia virtutum, vel ad illecebram delictorum. Super *Psalm.* XLVII.

S. AUGUST. 3. In omni mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Lib. 3, *contra Maximinum*, cap. 12.

4. Ut mutemur in pejus, nostra iniquitas, est : ut mutemur in melius, gratia Dei præstat. Super *Psalm.* LXVIII.

5. Mutata vita, mutatur sententia. Serm. 47, *ad Fratr. in eremo.*

6. Mutabile est omne, quod semper eodem modo non est. *De immortal. animæ*, cap. 2.

7. Omnis res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est. Lib. 2, *de libero arb.*, cap. 17.

8. Mutabilitas rerum mutabilium, capax ipsa est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Lib. 12, *Conf.*, cap. 6.

9. Omnis intentio quæ variatur mutabilis est, et omne mutabile æternum non est. *Ibid.*, cap. 15, post init.

10. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. *Ibid.*, lib. 7, cap. 10.

11. Quod nullam patitur mutationem, melius est quam id quod mutari potest. *Ibid.*, lib. 7, cap. 1.

12. Quod mutatur in melius, non quia manebat, mutatur; sed quia pervertebatur in pejus. *Prosec.*

13. Mutantur ergo quædam in meliora, et propterea tendunt ad esse; nec dicuntur ista mutatione perverti, sed reverti atque converti. *De Morib. Manich.*, cap. 6.

14. Omnia mutantur, nec mutatur divinæ providentiæ ratio, qua fit ut ista mutentur. Epist. 5.

15. Non verum est quod dicitur, semel recte factum nullatenus esse mutandum, mutata quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat. *Ibid.*

16. Turpe est mutare sententiam, sed veram et rectam : nam et stultam et noxiam, et laudabile et salubre est. Epist. 210.

17. Manifestum est omne mutabile ex aliqua infirmitate formari. Lib. 1, *de Gen. ad lit.*, cap. 14.

18. Omne corpus in omne corpus mutari posse credibile est : quodlibet autem corpus mutari posse in animam credere, absurdum est. *Ibid.*, lib. 7, cap. 7.

19. Spiritalis creatura tantummodo per tempora mutari potest, corporalis autem per tempora et loca. *Ibid.*, lib. 8, cap. 12.

20. Mutatus homo mutatum Deum sentit : ut per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi, mutatum solem sentiunt. *Annotat. in Job.*, cap. 10.

21. Quod recipit majus et minus, sine dubitatione mutabile est. Lib. 3, *de Civitate Dei*, cap. 6.

22. Mutabile est omne quod aliquid patitur. *Ibid.*, lib. 12, cap. 17.

23. Deus in quidquid voluerit, quas instituit potest mutare naturas. *Ibid.*, lib. 21, cap. 8.

24. Omnia quæ fecit Deus, quia ex nihilo fecit, mutabilia sunt. *De Natura boni*, cap. 1.

25. Quidquid fecit Deus potest esse mutabile, ipse autem Deus non est mutabilis. Lib. 1, *de actis cum Felice*, cap. 19.

26. Nisi injustus voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. *Contra Adimant.*, cap. 26.

27. Omnia quæ mutantur desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant : esse verum non habet, nisi qui non mutatur. Tract. *de eo quod dictum est; Ego sum qui sum.*

28. Omnis mutatio facit non esse quod erat. *De Natura boni.* cap. 19.

29. Non omne quod movet mutatur. *De immortal. animæ*, cap. 3.

30. Per gratiam humana voluntas ex mala mutatur in bonam. *De grat. et lib. arb.*, cap. 20.

31. Res quælibet, si mutabilis est, non vere est. Tract. 38, super *Joan.*

S. BASILIUS MAGNUS. 32. Homines similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aeris partem jactatis. Epist. 82, *ad Patrophil. episc.*

33. Quorum mens ad mutationem propensa est, non est dissentaneum, quin eorum quoque vita non sit ordinata. Apud. D. Joan. Damasc., lib. 2, *Parall.*, cap. 1.

S. BERNARD. 34. Tria sunt genera mutationum; sublimitatis in humilitatem, contemptibilitatis in majestatem, mutabilitatis in æternitatem. Prima mutatio fuit, quando Verbum carnem assumpsit; secunda mutatio, quando se homo Deus coram discipulis transformavit; tertia mutatio, quando resurgens cœlum regnaturus ascendit. In suis *Sent.*, cap. *Tria.*

35. Cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. *Prosec.*

36. Heu tristis et lachrymosa mutatio! ut homo paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, et cœlestium cohæres virtutum, repentina se mutatione invenerit in pecorinam similitudinem propter peccatum transmutatum. Serm. 35, super *Cant.*

BOETIUS. 37. Omnis subita mutatio rerum, non sine quodam quasi fluctu contingit animorum. Lib. 2, *de Consolat. Philos.*, prosa. 1.

S. BONAV. 38. Omne quod a versione incepit, versioni subjectum est. Super *Sapient.*, cap. XI.

39. Quanto res magis elongatur a suo principio, tanto magis mutatur et deficit. Super *Joan.*, cap. VIII, in illud; *Principium qui et loquor vobis.*

EVAGRIUS. 40. Planta quæ assidue transfertur, fructum nunquam edet. *Hab.* apud D. Joan. Damasc., lib. 2, *Parall.*, cap. 1.

GLOSS. DEC. 41. Nihil est in mundo, quod mutabilitatem non sentiat. In *Decret. Gratiani.*

S. GREGOR. MAGNUS. 42. Quid mutabilitas, nisi mors quædam est? quæ dum rem quamlibet in aliam immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat. Lib. 12, *Moral.*, cap. 17.

43. In virum alium mutatur, qui illud quod non fuit, se videt esse : et illud quod fuerat, non esse. Lib. 4, in I *Regum*, cap. V, super illud; *Et mutaberis in virum alium.*

HUGO A S. VICTORE. 44. Honestum est Religiosum non facile quidquam aut leviter variare. Super *Regul. D. Aug.*, cap. 3.

HUGO CARD. 45. Triplex est mutatio. Prima est conversionis, secunda est alterationis, tertia est meliorationis. Prima mutatio est incipientium. Secunda proficientium, tertia perseverantium, super *Ecclesiasten*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 46. Impossibile est ea, quæ naturæ sunt ac necessaria mutare. Homil. 41, super *Acta Apost.*

47. Præsentia cuncta variantur, et mutationi obnoxia sunt. Homil. 18, super I *Tim.*

S. JOANNES 48. Quorum natura a mutatione initium duxit,

DAMASCEN. ea mutationi quoque subsint necesse est. Lib. 1, *de Fide orthodox.*, cap. 5.

JOAN. SAR. 49. Rerum subitæ mutationes solent afferre molestias. Epist. 161.

S. PELOG. PAP. 50. Episcopus non mutat sedem, qui non mutat mentem. Epist. *ad Benign. archiep.*

PETR. BLES. 51. Qui de homine in Angelum transieras, nunc de Angelo in hominem reversus es. Epist. *ad Quemdam.*

PETR. CELL. 52. Muta vitam, dum vivis in hac vita : ne si forte modo dum potest, distuleris mutare, cum non poteris, cogaris tenere. Lib. 3, Epist. 10.

PETR. MAURITIUS ABB. CLUNIAC. 53. Nulla mutabilium rerum permutatio nos mutare, nulla varietas variare debet. Lib. 1, epist. *ad Innocent. Pap.*

PHILLO JUD. 54. Nihil est in rebus genitis firmum, sed omnia mortalia necessarias mutationes admittunt. *De mundi opific.*

S. REMIGIUS 55. Omnis creatura, quæ mutari potest in melius aut in deterius, corruptibilis est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1, can. 23.

RICHARD. A S. VICTORE. 56. Nihil verius, nihil certius, quam mundanorum mutabilitas : quanto diligentius conspicitur, tanto melius, tanto manifestius fugienda, et per despectum calcanda cognoscitur. Part. 1, lib. 3, *de Contemplat.*, cap. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 57. Ut homo pravus facile est mutabilis : sic et natura prava est ea, quæ indiget mutatione. Lib. 7, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 14.

58. Quædam nasci nulla utilitas est, mores enim mutari faciunt : nam aliqua per naturam ad utrumque apta, per mores ad pejus vel ad melius convertuntur. Lib. 7, *Polit.*, cap. 13.

PLATO. 59. Mutationem, aio, omnibus in rebus, præterquam malis, esse periculosissimam. Sizyg. 4, lib. 7, *de Legibus.*

SENECA. 60. Commutatio loci tolerabilis est, si tantum locum mutes, non animum. *De Consolat. ad Helviam*, cap. 13.

61. Non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Epist. 2.

62. Animum debes mutare, non cœlum : licet vastum trajeceris mare, sequuntur te quocumque perveneris, vitia. Epist. 28.

63. Mutare te loca, et in alium de alio transire solo : quia tam frequens migratio, instabilis animi est. Epist. 69.

64. O quam bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent, mutando locum ! *Prosec.*

65. Quid prodest mare trajicere, et urbes mutare? si vis ista, quibus urgeris, non alibi sis oportet, sed alius. Epist. 104.

66. Nemo se mutat, qui mutari se desperat. *De Moribus.*

Vide etiam tit. *Episcopus*, sent. 8; *Esse* sent. 23, 24, 25, *Honor*, sent. 103, 105; *Locus*, sent. 36, 37, 44; *Miraculum*, sent. 12; *Mundus*, sent. 58; *Reus*, sent. 16; *Satisfactio*, sent. 8; *Sententia*, sent. 37; *Temporale*, sent. 95.

MYSTERIUM.

DIONYSIUS CARTHUS. *Definitio.* Mysterium est sacrum secretum, seu mystica ratio, abditumve consilium. Super *Hymn. in Passione ad Vesperas.* Super illud; *Fulget crucis mysterium.*

S. GREGOR. MAGNUS. Mysterium ob hoc dicitur, quod secretam, et reconditam habet dispensationem. Et habet. in *Decret. Gratiani*, part. 2, caus. 1, quæst. 1, can. *Multi* § *Mysterium.*

PETR. MAURITIUS ABB. CLUNIAC. *Differentia.* Mysterium in hoc differt a sacramento, quod sacramentum semper aliquid tegere, dicitur; mysterium tegi, non tegere prædicatur. Lib. 3, epist. 7, *ad Gregorium.*

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Peccat Deo, qui commissa sibi secreta mysteria putaverit indignis esse vulganda. Super *Psalm.* CXVIII, serm. 2, vers. 3.

2. Indignus est Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Super 1, *Cor.* cap. 11, in illud : *Quicumque ederit panem hunc*, etc.

S. AUGUST. 3. Ad cœlestia arcana penetranda, ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit. *De spiritu et anima*, cap. 37.

4. In Scripturis sacris bonorum vita, non disputationum ambagibus, sed mysteriorum auctoritate facillime purgatur. Lib. 2, *de Ordine*, cap. 9.

5. In Scripturis sanctis profunda sunt mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quæruntur ut exerceant, ad hoc aperiuntur ut pascant. Super *Psalm.* CXXXX.

V. BEDA. 6. Humilibus et fidelibus divinæ legis mysteria parent, superbis autem et infidelibus latent. *In suis Prov.*, verbo *Humilibus.*

7. Quanto quisque amplius divinæ mysteria majestatis aspicere cœperit, tanto mox de se humilia sentiens a tota sua trepidus virtutum fiducia deficit. Lib. 1, super *Samuelem*, cap. 11, in illud : *Percussit de viris*, etc.

BOETIUS. 8. Non fas est homini, cunctas divina operis, seu mysterii machinas vel ingenio comprehendere vel explicare sermone. Lib. 4, *de Consolat. Philo.*, prosa 6.

S. CYRILLUS HIEROSOL. 9. Necesse est de divinis et sanctis fidei mysteriis, neque sine sacris Scripturis temere quidquam tradere. *Catech.* 4, *de Spiritu sancto.*

S. DIADOCH. 10. Profundum mysterium fidei si scrutemur, turbulentum quidem est; tranquillum vero, si simplici animo contemplemur. *De perfect. spirit.*, cap. 22.

DIONYSIUS. CARTHUS. 11. Apostoli magis illuminati, Christi mysteria clarius conspexerunt, multipliciusque noverunt, quam Vates Mosaicæ legis. Super *Epist.* 2, *Petri*, cap. 1, art. 1.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 12. Divina opera non discutienda sunt, sed credenda. Hom. 1, *de Symbolo.*

13. Quisquis ille es, qui obscurorum profunda non fide, sed curiositate rimaris; hoc potius insinua cordi tuo, ut divinas dispensationes quanto difficilius investigare te videris, tanto reverentius admireris. *Prosec.*

14. Quanto minus capis mysterii intellectum, tanto magis dispensatoris mirare, consilium. *Ibid.*

15. Nihil pene in sermone Dei mysteriis vacat. Hom. 1, *de S. Joan. Baptist.*

S. GAUDENT. 16. Desinamus fide neglecta, contumeliosis quæstionibus divinum pulsare mysterium. *Prosec.*

17. Scrupulositas intelligentiam mysteriorum Dei superflua curiositate non invenit : sed fidem perdit, quam constat esse ducem salutis. Tract. 14.

GLOSS. INT. 18. Frustra quæris ab hominibus in terra, quod solus Deus novit in cœlo. Super *Daniel.*, cap. 2.

19. Nova vitæ mysteria non sunt committenda mentibus nondum innovatis. Super *Matth.*, cap. 9.

S. GREGOR. MAG. 20. Divinæ virtutis mysteria (quæ comprehendi non possunt) non intellectu discutienda sunt, sed fide veneranda. Homil. 20, super *Ezech.*

S. HIERON. 21. Sacrilegium est vel celasse, vel ignorasse Christi mysteria. Epist. 59, *ad Pammach.*

22. Dilige mysteria Dei, ut ameris a Christo. Epist. 13, *de Septem ordinib.*, grad. 1.

23. Turpe lucrum est, de cœlestibus mysteriis terrena sectari. Super 1, *ad Tim.*, cap. 3, in illud; *Non turpe lucrum sectantes.*

HUGO CARD. 24. Mysterium humanæ liberationis ignotum est. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 1.

S. JOANNES CHRYSOST. 25. Quando deficit ratio, et mens non est capax scrutari mysteria Dei, cogitet quam magnus est Dominus, et quanta ejus virtus, cum neque rationem eorum, quæ ab illo facta sunt, scire mens queat. Homil. 7, super *Gen.*

26. Non possunt aliter creationis mysteria intelligi, quam fidei oculis conspecta. Homil. 15, super *Gen.*

27. Pernitiosum malum est, absque delectu cuivis divina mysteria detegere. *Ibid.*, homil. 16.

28. Mysteria veritatis margaritæ sunt : quia sicut margaritæ inclusæ cochleis, positæ sunt in profundo maris : sic et divina mysteria in verbis inclusa, posita sunt in Scripturarum sanctarum altitudinem. Homil. 17, super *Matth. Oper. imperf.*

29. Mysterium Dei scire expedit hominibus, nam servus fidior fit circa obsequium domini sui; cum cœperit dominus illi secreta sua committere. *Ibid.*, homil. 50.

30. Si Deus non omnia mysteria dicat hominibus, non invidet scientiæ nostræ, sed quia omnium mysteriorum scientia nobis minime prodest. *Ibid.*

31. Mysterium Dei incognitum est atque ineffabile, et multum habet quod mirabile sit præter opinionem. Serm. 19, super *Epist. ad Rom.*

32. Mysteria consuevit appellare Scriptura, quæ præter spem, et humanam fiunt opinionem. Homil. 7, super 1, *Cor.*

33. Ecclesia arcanorum mysteriorum thesaurus est. *Ibid.* hom. 16.

34. Istud vere mysterium est, quod nemo cognovit, quod admirabile est, quod præter communem est expectationem, et quod absconditum est. Homil. 5, super *Epist. ad Coloss.*

35. Animadverte mysterium et venerationis horrore moveberis : mysterium est magnumque mysterium, et pietatis sacramentum; mysterium revera ubique terrarum auditum atque creditum est. Homil. 11, super 1, *Tim.*

36. Si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis, aut mysteria secreta credideris : nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis eos illuminant : sed e contra ipsi sanctum coinquinant, et mysteria veritatis blasphemant. Homil. 17, super *Matth. Oper. imperf.*

S. ISID. HISP. 37. Sic divina scrutare mysteria, ut semper ea cogites immensa. Lib. 1, *de Summo bono*, cap. 8, sent. 19.

38. Qui nubilo terrenæ curæ fuscatur, si tentet Dei scrutari mysteria, non valet, quia caligine curarum obscuratus non videt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 9, sent. 4.

S. LAURENT. JUSTIN. 39. Spiritualis intelligentiæ mysteria carnalis mens, et infidelitatis tenebris involuta, capere non sufficit. *De Casto connub.*, cap. 25.

S. PROSPER. 40. Divina mysteria celantur, ut quantum non capit homo, avidius nosce quærat, et cum quæsita non intellexerit, amplius metuat, sciens divinum esse atque profundum quidquid mortalibus nosse fuerit denegatum. *De Promiss.*, part. 2, cap. 31.

THOMAS A KEMPIS. 41. Christi mysteria intelligere digni non sunt, qui ea cum humilitate et desiderio non requirunt Medit. 2, *de Desider. Prophetar.*, cap. 2.

TRISMEG. 42. Vos intra secreta pectoris divina mysteria silentio tegite, et taciturnitate celate. *De volunt. divina*, cui titulus *Asclepius*, cap. 11.

Vide etiam tit. *Eucharistia*, sent. 230, 231; *Sacerdos*, sent. 37; *Trinitas*, sent. 66.

NATIVITAS CHRISTI.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Ex utero funditur Christus, sed coruscat e cœlo : terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine fulget : nupta peperit, sed virgo concepit :